

Christian Ehrenfried Eschenbach

**Praemissis Qvibvsdam De Dysenteria, Eademqve Contagio Vacva, Resvrrrectionis Christi Dies Festos, Modo Qvolibet Pio Conficiendos, Cives Academicos Omnes Ac Singvlos Hortatvr**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1781?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877445796>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1481. Ostern.

~~M. 1256. 420. b.~~

PRAEMISSIS QVIBYSDAM  
DE  
DYSENTERIA, EADEMQVE CONTAGIO  
VACVA,  
RESVRRECTIONIS CHRISTI  
DIES FESTOS,  
MODO QVOLIBET PIO CONFICIENDOS,  
CIVES ACADEMICOS OMNES AC SINGVLOS  
HORTATVR  
ACADEMIAE NVNC RECTOR,  
CHRISTIANVS EHRENFRIED  
ESCHENBACH,  
PROF. MED.




ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

M 1256. 420. 6

RESERVATIONES CHRISTI  
DIEB. FESTOS.  
GIVES ACADEMICO AC SINGULOS  
CHRISTIANVS ENFRIED  
ESCHENBACH




1221  
H.D.



Quod Programmate Natalitio asserui de Scorbuto, respectu dissensus auctorum, huncce morbum pertractantium, id ipsum de Dysenteria adhuc quin affirmem, nullus dubito. Pathologici nimirum auctores, ubi de ea sermonem faciunt, adeo in partes varias discedentes reperiuntur, quoad puncta nonnulla, ut quis tandem morbus clinicus proprie sit dysenteria salutandus; quænam eandem progeneret causa occasionalis sive remotior; quid ægroto, laboranti ista, sperandum metuendumve sit; ac, quænam sint remedia salutaria; e placitis auctorum, inter se comparatis, ægre appareat. Vox, *dysenteria*, monentibus auctoribus, e *δυσ* et *εντερον* composita, nil aliud denotat, quam *intestinorum morbum*. Cum vero complures dentur morbi, sedem in intestinis figentes, iidemque toto genere diversi, utpote diarrhoea, obstructio alvina, malum iliacum, etc. facile patet, morbi, de quo sermo, differentiam specificam, e ratione nominis, quo indigitatur, non elucere. Quodsi contra ea loquendi usum consulamus, dysenteria adesse, in communi vita dicitur, quoties cum diarrhoea graviore merus dejicitur sanguis.

Experientia porro teste, morbus ordinarie, vel durante æstate, vel circa hujus finem occurrit. Aliquando plures ejusdem urbis, aut pagi, incolas simul aggreditur, sicque epidemici morbi indolem assumit; imo et ejusdem familiæ personas



complures invadit; aliquando autem sporadice tantummodo grassatur, urbis alicujus cives perpauca male habens: quin etiam, epidemice regnans, haud adeo raro e compluribus domum eandem habitantibus, non obstante commercio communi haud interrupto, unicum corripit, relictis cæteris omnibus plane intactis. Mitius vexat alios, alios gravius. Quosdam jugulat ægros: nonnullos contra ea convalescere finit, ac horum quandoque aliquos gravissime decumbentes, eorumque unum vel alterum citra medicinæ auxiliatricis concursum. Pixerere morbus præprimis inferioris conditionis hominibus est infestus: ac sub initium in sola consistit diarrhoea; donec, successu temporis, plus minus cito, cruenta accedat dejectio.

Liquet ergo ex adductis, dysenteriam componi e diarrhoea et sanguinis proventu. Cumque sic in dysenteria; præter serum et mucum copia conspicuum, in diarrhoea excerni solita, quorum illud ex arteriolis intestinorum prodit, mucus vero iste ex illorum glandulis; sanguis excernatur; atque, ut hic ultimus prodeat, non requiratur, nisi arteriolarum eandem major dilatatio, et additus sanguini major impetus: sequitur, ut *dysenteria non sit, nisi diarrhoea, ad gradum eum aucta, ut ipse sanguis prodeat.* Cum porro diarrhoea quælibet irritationem in intestinis præsentem, humoris in copia solito majori excreti causam, supponat; quæ ipsa in diarrhoea graviore, et aliquamdiu durante, in veram abit inflammationem; una cum febre; ac cum dolore, ipsius nunquam non comite, cujus species quædam sub *torminum* nomine est nota, quique in recto speciatim intestino *tenesmus* prognerat. Cum tandem sanguinis effluxus præternaturalis vires corporis pessundet. Hæc singula in dysenteria adsint, necesse est; eademque secundum morbi vehementiam majorem aut minorem plus minus graviter infestantia. Ac revera in ægrotis dysenteria laborantibus, dolorem intestinorum, irritationis in iisdem præsentis et inflammationis testem, tormina, tenesmus, atque virium jacturam, experientia observat clinica: quæ ipsa adhuc, prouti jam jam monitum est, morbum regulariter inchoare sub diarrhoeæ facie

cie, et successu temporis demum mutari in dysenteriam, docet. E quibus singulis tandem palam fit, neque solam diarrhoeam, neque solam sanguinis dejectionem dysenteriae titulum mereri: atque, in dysenteria necessario humorum adesse ad intestina congestionem majorem ea, quae in diarrhoea adest, consequenter et effectus inde oriundos majores.

Neque alia quaedam dysenteria innotuit veteribus: prouti apparet e CELSO, qui *de Medicin.* Libr. IV. Cap. 15. „Tor-  
mina, inquit, *δυσεντερίαι* graece vocantur. Intus intestina exul-  
cerantur, ex his cruor manat, isque modo cum stercore ali-  
quo semper liquido, modo cum quibusdam quasi mucosis ex-  
cernitur“ etc. Recentiorum e contrario plurimi duplicem in medium proferunt dysenteriam, *rubram* alteram, alteram *albam*. Rubra iis ipsa ea est, quae hucusque descripta, et antiquiorum testimonio corroborata, legitur. *Alba*, secundum eos, singula affert mala, rubram concomitantia, hinc diarrhoeam, tormina, tenesum, rel. aut cruor deicitur nullus, sed hujus loco solus prodit mucus copiosus. Vid. e. g. FRID. HOFFMANN. *Med. System.* Tom. IV. Parr. III. Sect. II. Cap. VII. §. V. sqq. et IVNCKER. *Consp. Med.* Tab. LII. Alii alias adhuc distinctiones adducunt. Sic e. g. BOERHAVIUS *de cognosc. et cur. morb.* §. 963. sqq. subruentae meminit dysenteriae, biliosae, purulentae, foetidae, cinericeae, ichorosae, nigrae. DE GORTER *Med. Compend.* Tract. XC. §. 16. de sicca quadam dysenteria loquitur.

Verum enim vero, quoad HOFFMANNVM, IVNCKERVM, et qui cum iis faciunt, cum dysenteria expresse ob cruorem simul proveniente nomen sit nacta, albam quandam assumere dysenteriam, nil aliud est, quam assumere diarrhoeam, *eousque auctam*, ut una cum sero et muco, in qualibet diarrhoea prodeuntibus, merus simul ex intestinis eliciatur sanguis (quatenus scilicet dysenteria salutar) aut et eodem tempore *eousque non auctam*. ut merus simul eliciatur sanguis (qui nimirum in hac dysenteria alba non adest): cujus rei impossibilitas, et asserto adhærens contradictio, hinc dysenteriae cujusdam albæ

A 3

nulli.





nullitas, haud ægre intelliguntur. Et quoad BOERHAVIUM GORTERVUMQUE, hosce auctores dysenteriae annumerare varias diarrhoeae species, quin et morbos, huc minime referendos, facili patet negotio, atque ex addita eorundem ulteriori descriptione fusius liquet. Perspectu quoque est alias difficillimum, quid sibi velit e. g. dysenteria sicca.

Dysenteriam progenerant, quaecunque et diarrhoeam excitare possunt, et sanguini circulanti impetum addunt versus intestina majorem, tantumque, quantum requiritur, ut is transeat per vasa minima, ipsi in statu naturali impervia. Prius perficiunt omnia ea, quae purgandi virtutem exserunt assumpta, quorum ingens in materia medica habetur numerus. Cumque pruna, in nimia quantitate comesta, huc etiam pertineant, haud sine fundamento eorum proventus solito uberior inter causas dysenteriae ab auctoribus recensetur. Imprimis vero drastica purgantia, improvide data, diarrhoeam cruentam, hinc dysenteriam, nonnunquam adducentia observantur a medico clinico. Posterius singula absolvent, quae sanguini ebullitionem conciliant, non modo externe admissa, utpote ardor solis et corporis motus vehementior: sed et intus assumpta esculenta et potulenta calefacientia, aut potius eorundem abusus. Singula haec eo citius certiusque morbum advehunt, si iisdem subita jungatur corporis, ac praesertim abdominis, perfrigeratio: quae quippe humores corporis ab hujus peripheria cum impetu ad viscera, adeoque et ad intestina, avocant. Atque sic patet ratio, cur dysenteria potissimum occurrat, aut durante aestate et Sirio ardente, aut circa ejus exitum; curque ea inferioris conditionis homines praeter reliquis aggrediantur. Durante nimirum aestate calor aeris ad majorem evehitur gradum, et nihilominus dicti homines laboribus vacare durioribus suis coguntur. Ambo enim combinata sanguinem circulantem in motum velociorem rapiunt, qui, accedente, vel fructuum horæorum, laxandi virtute pollentium, ingurgitatione, vel nocturno frigore admissio, vel drasticonum medicamentorum usu, vel plus uno horum, dysenteriam producit.

Aucto-

Auctores recentiores permulti, quos inter HOFFMAN-  
 NVS est atque IVNCKERVS, jamjam adducti, ad provocandam  
 dysenteriam, *contagium* simul in auxilium vocant, ejusque  
 concursum necessarium volunt; atque id ipsum ad exserendam  
 vim penetrare in corpus asserunt, quando vapor e recens emis-  
 sis, et adhuc calidis excrementis, ab ægro dysenteria laboran-  
 te editis ascendens, sani cujuslibet posteriora denudata imme-  
 diate attingit. Interim ad dysenteriae productionem *contagio*  
*non esse opus*, sequentia suadent: 1) Ad provocandam diar-  
 rhoeam, quæ ad compositionem morbi concurrit, quæque  
 morbi initium constituit, nullum requiritur *contagium*, cum  
 assumpti fructus horæi copiosi, cæteraque quælibet laxandi  
 virtute pollentia, abdominis perfrigeratio, rel. abunde suffi-  
 ciant. Nec quoque diarrhoea ab auctoribus inter morbos con-  
 tagiosos refertur. 2) Sic etiam sanguinis excretio accedens  
 haud indiget *contagio*, quæ scilicet, absque hujus concursu,  
 a calore solis, assumptisque circulum sanguinis augmentibus, sa-  
 tis excitatur. 3) Dysenteria sporadicæ obveniens, id quod  
 proxime præterita æstate in urbe nostra contigit, omne exclu-  
 dit *contagium*. Quodsi vero morbus quidam semel absque  
*contagio* adveniat, is alio quoque tempore quolibet sine illo  
 aderit. 4) In dysenteria epidemice grassante, quam ante bien-  
 nium circa æstatis finem in nostra urbe sumus experti, tot ob-  
 venerunt, et apud nos observata sunt, exempla ægrotorum,  
 quorum e tota familia non nisi unus decumbebat, id quod iti-  
 dem cum morbo contagioso non congruit. Nec ægrotorum  
 multitudo aliqua obstat: causarum namque, morbum produ-  
 centium, datur etiam multitudo, earumque nonnullæ patent  
 latissime, e. g. solis ardor, fructus horæi, subita refrigeratio,  
 etc. In nosocomiis quidem, ægrotorum dysentericorum,  
 imprimis angustiiori habitaculo inclusorum, copia nimia obru-  
 tis, forsan horum effluvia copiosissima morbum in corpore la-  
 rentem excitare, ac præsentem augere possunt. Ejusmodi quid  
 autem in ædibus urbis alicujus locum, non nisi in casu rarissimo,  
 habet. 5) Nemo affirmantium adhucdum probavit, nec quod  
 primum dysenteriae, alicubi grassantis, initium *contagio* me-  
 diante



diante venerit; nec quod vapor prædictus; qui primo saltim ægro, ceu nondum existens, haud nocuit; vere sanis ullum asferat sanitatis detrimentum. Quodsi autem affirmantium quis ad experientiam provocare velit, illi incumberet probatio, præter vaporem isthunc nullam aliam adfuisse causam occasionalem, dysenteriae prognerandæ aptam. a) 6) Accedit, quod vocabulum, *morbis contagiosus*, ceu plebi etiam, quid sibi velit, minime incognitum, statim, ac auditur, terrorem injiciat, quin et inferioris conditionis homines impellat, ut ministeria necessaria ægrotis denegent, cujus rei exempla permulta in nostra urbe ante biennium, regnante tunc dysenteria epidemica, vidimus; quod itaque consultius sit, ex hoc quoque fundamento morborum contagiosorum potius minuere numerum,


- a) Experientia teste, aliquando morbi clinici duo, aut plures, ægrotum conjuncti vexant. Fieri itaque potest, imo et, haud adeo raro sit revera, ut, quemadmodum febris et diarrhœa interdum simul adfunt, sic quoque combinentur dysenteria et febris epidemica aliqua, cujus ultimæ fundamentum nunquam non in contagio quodam aëreo latere, inter medicos constat. In hoc casu dysenteria vulgo videtur contagiosa; forsitan quoque is ipse doctrinæ de contagio dysenterico præbuit natales. Rem vero penitus paulo perpendenti facile apparet, contagium non adherere dysenteriae, sed febrî; adeoque toties deesse contagium, quoties nulla jungitur febris epidemica, id est, dysenteriam, per se et solam consideratam, nullatenus esse contagiosam. Atque hujus rei ipsa indolis erat dysenteria, ante biennium in urbe nostra grassans. Cum ipsa nimirum simul aderat febris, iridem epidemica, et, propter eam sociam, dysentericorum plurimi morbo decumbebant duplici. Morborum vero in ægrotis hæc concursus testimonium luculentissimum præbebant ægri alii sat multi; eodem tempore sola febre ista laborantes, ulla haud accedente dysenteria,

ac in specie dysenteriam contagio vacuam defendere, imprimis cum argumenta adducta, sat gravia, contagium ab auctoribus additum negent. Longe certe, hoc respectu, alia ratio est dysenteriae, quam morborum vere contagiosorum, quorum, iis adhærens, contagium omni vacat dubio, utpote luis venereæ, scabiei, pestis, variolarum, etc. *b)*

Quemadmodum diarrhoea mitior periculi est expers; sic gravior, aut per se, aut incongrue tractata, aut modo quocunque alio reddita auctior, noxam inferre potest, quoniam hac ratione irritatio, sub initium sola præsens, in inflammationem abit, vel etiam hæc levior præsens in graviolem mutatur. Hinc et dysenteria, quæ quippe graviolem supponit diarrhoeam, adeoque inflammationem agnoscit comitem, periculo nunquam penitus destituitur. Interim, quoniam noxa proprie venit ex inflammatione; atque inflammatio, in visceribus etiam, discuti se toties patitur, quoties et arteriolæ, liberæ relictæ, obstructis numero sunt superiores, et humor obstruens omnem nondum seposuit fluiditatem; prætereaque dysenteriae dantur gradus: mitior dysenteria medelam admittit; in graviore autem inflammatio vel abit in suppurationem, vel in gangrænam, quæ ultima

*b)* Ipse *Patholog. meæ* §. 251. tam dysenteriae albæ, quam contagii, dysenterici mentionem injeci, utrumque autem ut B. L. deleat, rogo. Præcipuus in elaborando Compendio scopus mihi erat, tradere et Pathologiam generalem, ab omni additamento peregrino liberam, et Pathologiam specialem, doctrinæ de pluralitate morborum in morbis superstructam. Huic fini intento mihi haud fuit impossibile, errorem quendam errare in punctis specialioribus, in quibus, propria tum temporis experientia destitutus, auctorum placitis accedere cogebat. Idem adhuc de *Scorbuto* valet, de quo egi *Programmate Natalitio*,

B




ma præ priori frequentior accedit. Quod autem periculum adhuc majus timendum a dysenteria *alba* auctores quidam perhibent, nullum revera est, quoniam ejusmodi dysenteria datur nulla, quæ nimirum non est nisi diarrhoea quædam, atque propter deficientem cruoris simul junctum proventum non potest non esse mitior, quam dysenteria, ab auctoribus hisce rubra cognominata, id est, vera.

Quænam tandem conducant medicamenta, haud adeo difficili eruitur negotio. In dysenteria namque conveniunt humorum intestinalium secretio uberior, eademque ad cruoris usque proventum aucta; et intestinorum inflammatio: quarum prior canales præter naturam dilatatos testatur; posterior fibrarum irritabilitatem justo majorem, hinc dolorem, secum affert. Iam vero methodi medendi regulæ jubent, ut morbo cuilibet opponantur medicamenta, vim morbi effectui contrariam exferentia: quam ob rem in dysenteria canales dilatati adstringentibus sunt ad justum diametrum revocandi partim, partim anodinis nimia irritabilitas est compescenda. Vereres quoque medici hanc ipsam adhibuerunt methodum, teste *CELSE* *loc. cit.* Recentiores interim auctores permulti; quamvis prædicta medendi ratio argumentis innitatur, a natura morbi desumptis, hinc certissimis; aliam potius ingrediuntur viam, et anodina atque adstringentia esse fugienda, morbum e contrario vomitoriis laxantibusque, speciatim Ipecacuanna et Rhabarbaro, oppugnandum volunt, contra inflammationem vero Camphoram interne sumendam suadent. De quibus igitur singulis nonnulla monuisse juvabit.

*Vomitoria* irritandi, qua pollent, vi sua ventriculo motum addunt, naturali longe majorem, ac simul inversum, quo mediante is contenta quælibet maximo conatu per superius guttur expellit; atque hic est vomitorii cujuslibet dati effectus, finisque primarius. Præterea autem, et secundo, vehementissima hac fibrarum ventriculi, quin etiam totius corporis, commotio:

motione sanguini quoque eadem circulum imprimunt rapidio-  
 rem impulsuque fortiorem. Iam vero effectu vomitorii pri-  
 mario dysenteria non indiget, quæ scilicet non est ventricu-  
 li, sed intestinorum morbus. Et quamvis effectus alter, sive  
 fortior sanguinis circulantis commotio, huiusque sic impetus  
 auctus, humorem quendam, canaliculos obstruentem, et in-  
 flammationi ansam subministrantem promovere, atque hac ra-  
 tione inflammationem solvere possit: obstructio tamen dicta  
 valde mediocris sit oportet; quoniam vel paulisper gravior ali-  
 qua ipso hoc conamine augetur, et in insanabilem facile tran-  
 sit: nec quoque dantur graduum obstructionis signa adeo evi-  
 dentia, ut errori locus plane nullus relinquatur. *Ipecacuanna*  
 adhuc, cum haud aliam virtutem, quam vomitum cien-  
 di, exferat: præ reliquis vomitoriis, contra dysenteriam spe-  
 cialis adjutorii nihil possidet. Atque ex hisce singulis sequitur,  
 ut vomitoria *nullius in dysenteria sint usus salutaris.*

Nec aliter sentiendum de *Laxantibus*. Hæc ipsa, im-  
 primis e mitiorum numero desumpta, tanta quidem in intesti-  
 na vehementia, quanta in ventriculum vomitoria, non agunt.  
 Interim et alia haud ratione effectum edunt, quam irritando,  
 quo ipso et salivæ intestinalis secretionem uberiores promo-  
 vent, et motum intestinorum peristalticum, usque ad exturbata  
 fortiori quodam modo quælibet contenta, augent. Ast par-  
 tim ægri, dysenteria laborantis, intestina nil quicquam inclu-  
 dunt, quod educi violenter mereatur; quam enim auctores  
 defendunt, materiam peccantem sive morbificam, in qualibet  
 diarrhoea, adeoque et in dysenteria, occupantem intestina,  
 et eductu possibilem, ac necessario eliminandam, unquam nec  
 ipsi viderunt, nec ulli præterea medico in conspectum venit.  
 Partim irritationi, in intestinis jam jam præsentem, addita ab as-  
 sumpto laxante irritatio, non potest non morbum, ac cum eo  
 inflammationem intendere. Num vero et medicamentum por-  
 rigens medicus certo novit, ægrotum tam morbum jam jam  
 præsentem, quam hoc morbi et inflammationis augmentum,  
 absque detrimento superaturum esse? *Rhabarbaro*, quod mi-  
 tiori-



tioribus alvum ducentibus remediis annumerandum, auctores quidem vim quoque adstringentem, eamque absoluta laxandi operatione postliminio accedentem, tribuunt. Ast vero, quæ cujuslibet laxantis remedii assumpti effectum paulo uberiolem sequitur, alvi obstructio aut siccitas, aliquamdiu durans, non est, nisi necessarium consequens deperditæ copiosis dejectionibus salivæ intestinalis; cujus quantitas debita in intestinis præsens ad solvendam alvum requiritur, quæ vero jam deficit, successu temporis denuo colligenda. Minime ergo alvi ista adstrictio est effectus, qui, tanquam vis medicamento adhærens, considerari potest; adeoque nec est inter rhabarbari proprietates recensenda; cui jure longe meliori dictum morbi augmentum adscribitur. Neque datur in universa materia medica remedium quoddam, virtutibus e diametro sibi oppositis, quales sunt laxatio et constrictio, instructum.

*Camphoram* e discutientium medicaminum fortiorum esse numero, chirurgia docet. Discussientia autem fortiora irritantem simul possidere virtutem, adeoque, pro more irritantium quorumvis, effectum haud alio edere modo, quam fibris solidorum, ac illarum ope sanguini etiam circulanti, motum imprimendo naturali majorem, eadem monet. Adhæc, quæ interne assumuntur medicamenta, e primis viis in sanguinem pertingunt, et hujus circuli beneficio per totum corpus circumferuntur, nec nisi pro quantitate partis affectæ, cum universo corpore comparata, eandem attingunt. Quoad effectum igitur, a camphoræ usu interno expectandum; is generatim alius haud est, quam ebullitio sanguinis, consequenter et inflammatio jamjam præsens, aucta. Quoad dosin autem assumptam, si ea fuerit minor, inflammationis discussio, quam auctores animo intendunt, nulla expectari potest, quoniam, quæ viscus inflammatum seu illius partem obstructam attingit, portionis assumptæ quantitas minima, virtute omni est orba; vel si tanta porrigatur, quanta ad exferendum discussiendi effectum in parte affecta speciali requiritur, ea, nimis augendo sanguinis motum in toto corpore reliquo, sat detrimenti

menti adducet. Camphora igitur, *contra inflammationem internam quandam interne in usum ducta, prodesse nequit.* Et quamvis in dysenteria interne sumta camphora externi medicamenti potius explere vices videatur, quoniam deglutita, mox ad intestina pertingit; tamen antequam illuc perveniat, partim ori, cesophago, ventriculo, et parti intestinorum, quibus singulis irritabilitas inest manifesta, irritationem communicat, nec, sane! effectu penitus innoxio; partim harum partium humoribus specialibus permixta, durante via, discutientis virtutis portionem deponit: ut igitur singula, de ea superius asserta, sic etiam maneant salva.

Sed auctores, Ipecacuannæ, Rhabarbari, Camphoræ usum suadentes, ad experientiam provocant, frequentissimaque in medium proferunt exempla eorundem, absque noxa non solum, sed etiam cum manifesto ægrotorum commodo, assumptorum. Dari ejusmodi observata, negari nequit. Num vero eventus hicce faustus adhibito debetur remedio vomitorio, laxanti, camphoræ? Minime omnium! Experientia in singulis hujus generis casibus non monstrat, nisi ægrum dysenteria laborantem, medicamen assumptum, et sanitatem restitutam. Num autem sanitas medicamenti virtute redierit, id nullatenus experientia monstrat: quippe quod unice argumentis, e natura morbi, ac medicaminis virtute, et comparatis inter se amborum effectibus eruitur. Jam vero præfens in dysenteria irritatio, intestina occupans, itidem negari nequit; nec etiam vomitorii, laxantis, camphoræ, vis irritans, effectus, quem ea singula edunt, fundamentum: præterea, morborum quorumvis vehementiæ dari gradus constat. Atque sic perspicitur, in omnibus ægrotis, qui a vomitorii, laxantis, camphoræ, usu noxam haud ullam, quin etiam levamen experti sunt, dysentericæ gradum adfuisse, non modo per se et solum consideratum, sed etiam ab assumpto vomitorio, laxante, camphora auctum, superabilem. De cætero infausti quoque eventus passim ab auctoribus referuntur, vid.





vid. e. g. quoad laxans mitissimum in dysenteria propinatum,  
FRID. HOFFMANN. *loc. cit. observ. V.*


Hisce præmissis, Vobis, Cives nostri! iterum in memoriam revoco beneficia maxima, generi humano toti a DEO T. O. M. misericordia erga telluris incolas pleno, data; quorum et recordationem ecclesia nostra publico cultu festivo, laude ac gratiarum actione, læta hodie repetit, mundi scilicet Salvatoris, post perpeffam pro peccatis hominum passionem acerbissimam, a morte resurrectionem, eaque ipsa testatum factæ redemptionis valorem æternum. Agamus igitur nos etiam, durantibus diebus festis, DEO et Salvatori nostro gratias, quas possumus, humillimas, cum verbis, tum factis, et per omnem vitam nostram vivamus ei, qui pro nobis mortuus est et resurrexit. Ipsi sit gloria sempiterna!




P. P. SVB SIGILLO RECTORIS,  
FERIIS PASCHALIBVS,

1781.







menti adducet. Camphora igitur, *contra inflammationem internam quandam interne in usum ducta, prodesse nequit.* Et quamvis in dysenteria interne sumta camphora externi medicamenti potius explere vices videatur, quoniam deglutita, mox ad intestina pertingit; tamen antequam illuc perveniat, partim ori, cesophago, ventriculo, et parti intestinorum, quibus singulis irritabilitas inest manifesta, irritationem communicat, nec, sane! effectu penitus innoxio; partim harum partium humoribus specialibus permixta, durante via, discutientis virtutis portionem deponit: ut igitur singula, de ea superius asserta, sic etiam maneant salva.

Sed auctores, Ipecacuannæ, Rhabarbari, Camphoræ usum suadentes, ad experientiam provocant, frequentissimaque in medium proferunt exempla eorundem, absque noxa non solum, sed etiam cum manifesto ægrotorum commodo, assumptorum. Dari ejusmodi observata, negari nequit. Num vero eventus hicce faustus adhibito debetur remedio vomitorio, laxanti, camphoræ? Minime omnium! Experientia in singulis hujus generis casibus non monstrat, nisi ægrum dysenteria laborantem, medicamen assumptum, et sanitatem restitutam. Num autem sanitas medicamenti virtute redierit, id nullatenus experientia monstrat: quippe quod unice argumentis, e natura morbi, ac medicaminis virtute, et comparatis inter se amborum effectibus eruitur. Jam vero præfens in dysenteria irritatio, intestina occupans, itidem negari nequit; nec etiam vomitorii, laxantis, camphoræ, vis irritans, effectus, quem ea singula edunt, fundamentum: præterea, morborum quorumvis vehementiæ dari gradus constat. Atque sic perspicitur, in omnibus ægrotis, qui a vomitorii, laxantis, camphoræ, usu noxam haud ullam, quin etiam levamen experti sunt, dysenterici gradum adfuisse, non modo per se et solum consideratum, sed etiam ab assumpto vomitorio, laxante, camphora auctum, superabilem. De cætero infausti quoque eventus passim ab auctõribus referuntur, vid.

